Quartus humilitatis gradus est. **DE IIII GRADU.**
Si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus etiam
quibuslibet inrogatis iniuriis tacita conscientia pacien
tiam amplectatur et sustinens non lasescat vel discedat.
Dicente scriptura: Qui perseveraverit usque in finem
hic salvus erit. Item: Confortetur cor tuum et sustine
dominum. Et ostendens fidelem pro domino universa etiam
contraria sustinere debere dicit ex persona sufferentium:
Propter te morte afficimur tota die, aestimati sumus ut
oves occisionis. Et securi de spe retributionis divine
subsequantur gaudentes et dicentes: Sed in his omnibus
supperamus propter eum qui dilexit nos. Et item alio loco scriptu
ra: probasti nos deus igne nos examinasti sicut igne exa
minatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti
tribulationes in dorso nostro. Et ut ostendat sub priore
debere nos esse subsequitur dicens: Inposuisti homines
super capita nostra. Sed et preceptum domini in adversis et iniur
iis per patientiam adinplentes qui percussi in maxilla
praebent et aliam. Auferenti tunicam dimittunt et pal
lium. Angariati miliario vadunt duo. Cum paulo apostolo falsos
fratres sustinent et persecutione sustinent et maledicentes se benedicunt.